Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Deus fidelium. Postcommunio. lumen animarum, adesto supplicationibus nostris. et da omnibus fidelibus in christo quiescentibus quorum corpora hic et ubique requiescunt refrigerii sedem. quietis beatitudinem. luminis claritatem. Per eundem. Sequuntur collecte sive orationes supplicatorie in celebratione missarum pro diversis competentibus saluti generis humani. Et primo pro apostolico vel episcopo Oratio.

Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N. quem pastorem ecclesie tue esse voluisti propicius respice. da ei quesumus verbo et exemplo quibus preest proficere: ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Oblatis quesumus domine, Secreta. placare muneribus: et famulum tuum N. quem pastorem ecclesie tue esse voluisti assidua protectione guberna. Complenda.

Hec nos quesumus domine divini perceptio sacramenti protegat. et famulum tuum N. quem pastorem ecclesie tue esse voluisti una cum grege sibi commisso salvet semper et muniat. Per. Pro omni gradu ecclesie oratio.

Omnipotens sempiterne deus. cuius spiritu totum corpus ecclesie sanctificatur et regitur. exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes: ut gratie tue munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per dominum. in unitate eiusdem. Secreta.

Da famulis tuis omnipotens deus indulgentiam peccatorum. consolationem vite. gubernationem perpetuam: quo tibi fideliter servientes ad tuam iugiter misericordiam pervenire mereamur. Postcommunio.